


Andreas Daniel Habichhorst Friedrich Pampus

Triverbium Evae Controversissimum ex Gen. IV. I. Dissertatione Theologica Tertia Plenius Expensum, Auspice Deo-Homine, Venerabili FCtate Theol. approbante, Praeside Andrea Daniele Habichhorstio, S. Th. Doct. ... In ... Mekelburgensium Universitatis Auditorio Maiori ...

3 : ... ad d. 17. Dec. hor. mat. 1687. ...

Rostochii: Richelius, 1687

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn756819911>

Band (Druck) Freier  Zugang



RU theol. 17.Dez. 1687

Habichhorst, Andr. Dan. *19*

TRIVERBIUM EVÆ

CONTRIVERSISSIMUM

ex GEN. IV. 1.

DISSERTATIONE THEOLOGICA
TERTIA

PLENIUS EXPENSUM,

Auspice DEO-Homine,

Venerabili FCtate THEOL. approbante,

PRÆSIDE

ANDREA DANIELE
HABICHHORSTIO,
S. TH. DOCT. EJUSDEMQUE PROF. OR-
DIN. & CONSIST. DUC. MEKELB. ASSESS.
DESIGNATO,

ad publicam *σολομν* Academicam,

In illustris antiquæque Mekelburgensium Universitatis

Auditorio Majori,

ad d. 17. Dec. hor. mat. Anno 1687.

proponit

FRIDERICUS PAMPIUS,

Soldino Marchicus.



ROSTOCHII,

Imprimebat JACOBUS RICHELIIUS, Ampliff. Senat.

Typograph.

TRIVETERBIUM
EVA

DISSERTATIONE THEOLOGICA
TERTIA
AULPICE DEO HOMINE
P. RESIDE

ANDREA DANWILLE
HABICHORSTIO

Universitäts-
Bibliothek
Rostock

FRIDERICUS PAMPUR

ROSTOCK
JACOBI RICHTELII
Typograph

כ"ש אכ"ר
SECTIO POSTERIOR

subjiciens

ORTHODOXUM TRIVERBII USUM.

DISP.
III.

Ostenso igitur & vindicato sic satis genuino Triverbii
EVA SENSU, falsisque ejus interpretationibus reje-
ctis, jam ad orthodoxum quoque USUM ejus expo-
nendum, eâ ferè methodo, qua in Disp. nostra po-
steriori de *Abrahamitica diei Christi visione*, ante bi-
ennium in *Acad. Gryphiswaldensi* habita, progrediemur. Quem-
admodum enim de omni scriptura *Ἰεροσολύμοι* Apostolus 2 Tim.
3. 16. testatur, quod sit utilis *πρὸς διδασκαλίαν, πρὸς ἐλεγχόν, πρὸς
παίδειαν* &c. ita & praesens locus noster non omnino nullos ha-
bet USUS, ex praecedenti SENSUS evolutione sic satis pulchrè
fluentes; Illos verò duobus includere membris, quorum prius
Theoreticos, posterius verò *usus* exponet *practicos*, operæ pretiū erit.

MEMBR. I.

de

USU THEORETICO.

PUNCT. I.

USUM exhibens DIDASCALICUM.

Theoreticus enim cum sit partim *Didascalicus*, partim *Elencticus*,
hinc membri hujus primi punctum prius *Didascalicum*, po-
sterius vero usum proponet *Elencticum*. Et quidem *Didascalicum*
sequentia quinque *Consectaria* revelant.

CONSECTARIUM I.

*Eva Oprisorum V. T. fidelium fides adeoq; ratio sal-
vandi eadem, quæ nostra, fuit.*

§. 1.

Evam enim, cum in summè calamitosum peccati & æternæ
damnationis statum è summa omnino innocentia & bea-
titudine per transgressionem legis divinæ dejecta, promissionem
de

de Semine Redemptore statim in Paradiso accepisset, voti anxiam
è quavis occasione impletionem promissi Vindictis sollicitè ex-
pectasse, adeoque nato jam Caino desiderium fidemque s. fiduciam
in promissum Semen & Redemptorem contestatam fuisse, dicen-
do: *acquisivi (possedi) Virum ad Jehovah*, licet in circumstantiis
quibusdam & persona erraverit, ex data jam Triverbii eius Ana-
lysi & SENSUS evolutione dispalescit. Rectè hinc primò conse-
quitur, *eandem fuisse*, in substantialibus scilicet, *Eva adeoque, priscorum*
V. T. fidelium, quæ nostra est, fidem salvandiq. rationem. Differentia
solum in *circumstantiis* quibusdam & *gradu* conspicitur: Eva enim
cum reliquis V. T. fidelibus credidit in semen Mulieris & Messiam
nascendum; nos verò in *natum*; *obscurius* illi, ignorantibus scilicet,
non negantes, vel certè non satis considerantes Virginitatis Ma-
tris Messie & termini exhibitionis non adeo propinqui, similes-
que *circumstantias*; nos *clarius*, prout revelatio mysterii incarna-
tionis Messie & salutis magis magisque inclaruit. Quoad *sub-*
stantiam vero eandem fuisse Evæ & fidelium V. T. fidem salvandi-
que rationem, quæ nostra est, elucesceret satis, si fidei Evæ cetero-
rumque V. T. fidelium *materiam circa quam s. objectum*, item *mate-*
riam ex qua s. partes materiales & deniq. formam considerarem.

§. 2. *Objectum* enim s. *materia*, *circa quam* fides Evæ & fi-
delium V. T. vertabatur, erat *promissio Evangelica* de nativitate Mes-
sie, Seminis Mulieris, capitis Serpentina Contritoris Gen. 3. 15. si-
ve Seminis Abrahami Gen. 12. 3. atque in ea involutum oblatum-
que Contritoris passuri meritum, ex quo non tantum liberatio à
peccato & morte, sed & benedictio aterna. Ita enim contritu-
rus erat caput Serpentina Contritor, ut ipse experturus passivè
calcanei contritionem esset, Gen. 3. 15. Quod vero per Semen
mulieris & Semen Abrahami non plures, sed *unum* intelligatur
individuum, scilicet *Messias s. Christus*, ex interpretatione Aposto-
lica sic satis claret Act. 3. 25. Gal. 3. 8. Hoc verò individuum non
nudum fore hominem sed & DEum, iisdem fidelibus cognitum
creditumque esse, idque constare ipsis ex promissa potuisse capi-
tis Serpentina h. e. potestatis Diabolicæ contritione, quæ non ni-
si *infinite* competit personæ, sequenti Consecratio ostendetur.

Illud

Illud autem *πρωτευαγγελιον* ita primis fuisse parentibus intellectum, vel ex hoc ipso Evæ Triverbio colligitur. Conf. Lyser. Trifol. Relig. th. 39.

§. 3. *Partes materiales* fidei Evæ & priscorum V. T. fidelium fuerunt in intellectu, *notitia* promissionis Evangelicæ s. promissi Seminis Mulieris & Contritoris Satanae s. Redemptoris *θεανθρωπος*, & *Assensus* verbo promissionis futuræque per Messiam liberationis ac benedictionis præbitus; in *voluntate* verò *fiducia* in hac promissione Evangelica planè acquiescens. Nisi enim *πρωτευαγγελια* notitiam Seminis illius s. Redemptoris *θεανθρωπος* habuisset, neque promissionem divinam intellexisset, neque assensum ei præbisset, neque in eam confidisset, utique voti præceps, præ nimio implendæ promissionis desiderio, cum primogenitum pareret, in hæc verba non erupisset: *genui Virum τὸν Jehovah*. De Abrahamo etiam quod in Omnipotentis *επαγγελια* de Semine benedicto, in nostri informationem & solatium acquieverit, ex Rom. 4. 18. 20. 22. constat.

§. 4. Tandem, *formæ* etiam ratione, fidelium V. T. fidem, sicut nostra, constituisse in *Objecti huius cogniti & approbati*, seminis sc. Mulieris, Contritoris illius, *ejusq; meriti apprehensione*, ex effectu cognoscitur, scilicet justificatione & salvatione. Sicut enim Abrahamo, ita & Evæ, fides in Christum ad justitiam fuit imputata Conf. Gen 15. 6. & Rom. 4. 3. 5.

§. 5. Facit huc Abrahami titulus, quo *Pater omnium Credentium* appellatur Rom. 4. 16. Gal. 3. 6. 7. quod certè prædicatum ipsi non competeret, nisi eadem ejus fuisset, quæ nostra, fides.

§. 6. Suffragantur Confectario nostro Apostoli in Concilio Hierosolymitano Act. 15. 11. *statuentes eadem ratione (καθ' ὅν τῶν)* homines in utroq; salvari Testamento, sive nos eadem ratione salvari, *qua olim Patres*, sc. *per solam Christi gratiam fide apprehensam*. Neq; enim vox *καθ' ἑαυτοῖς* i. e. *sicut & illi*, cum Adversariis ad *gentes*, sed ad *Patres*, referenda est: quod patet ex adversativa *ἀλλὰ* sed, quæ præcedentibus sine magna distinctione immediate copulata est h. m. *jugum legis neq; Patres neque nos portare potuimus,*

potuimus, sed per gratiam Domini Jesu Christi credimus salvari, quem
admodum & illi, sc. Patres, qui in opposito & per aduersativam SED
determinato membro nominabantur. Nam post Patres & pro-
nomen nos ponitur sed. Igitur sequens vox illi respicit Patres,
cum pronomen nos non possit. Neque etiam causa apparet ul-
la, cur masculinum καὶ αὐτοὶ contortâ constructione ad remotissi-
mum & quinque versibus ab eo distans nomen neutrum ἑθνη
(gentes) referri debeat. Quid? quod Petrus, si hoc de gentibus
intellexisset, turpissimè id petiisset, quod est in principio; cum
quæstio esset v. 1. 5. *an gentes absque circumcisione possint saluari?*
quod Apostolus non potuit hoc probare medio: *nos eodem mo-
do, quo gentes, saluari*: illud enim quærebatur atque à Judæis con-
uersis v. 1. 5. impugnabatur.

§. 7. Claret idem Consectarium ex Abrahami Exemplo,
quod Apostolus Rom. 4. 3. nostram justificandi & salvandi ra-
tionem, tanquam in propria sede & ex professo deducens,
in exemplum omnium credentium & salvandorum pro-
ponit.

§. 8. Neque minus illud ex modo salvandi Veteres per fi-
dem Habac. 2. 4. צדיק באמונתו יחיה *justus fide sua vivet*, patescit:
Ex hoc enim Apostolus nostrum salvandi modum in Ep. ad
Rom. 1. 16. 17. deduxit & illustravit. Et licet adducti Prophetæ
testimonium sit recentius (quod Sociniani hîc excipiunt)
non tamen rem proponit recentem: aliàs Apostolus s. c. ex
eodem nostrum per fidem salvandi modum deducere haut po-
tuisset.

§. 9. Quid? quod omnes V. T. Prophetæ, extra quos NI-
HIL Paulus docuit Act. 26. 22. eandem salvandi per fidem in
CHRISTUM rationem annunciarunt Act. 10. 47. rationem illi-
quam, non in N. T. tantum obtinendam, (uti hîc somniant Ad-
versarii) sed jam in V. T. vigentem: non enim aliud est no-
men per quod salvari possunt homines Act. 4. 12. & in utroque
Testamento eadem ratione salvari ex Act. 15. jam ostensum
est.

CONSECT.

CONSECT. II.

*Eva & fidelibus V. T. cognitum creditumque fuit Semen
Mulieris s. Messiam fore DEUM ac Hominem.*

§. 1.

Confectarium hoc pulcherrimè non tantùm fluit, sed & disertissimè ex illa Evæ Confessione *acquisivi (genivi) Virum DOMINUM*, ostenditur, quippe quæ satis superque arguit, Evam, edito in lucem primogenito suo, ad promissum mulieris Semen, serpentis infernalis contritorem, respexisse, eundemque, licet in applicatione ad Kainum (quippe cui prædicatum *חַוְוָה* non competit) & circumstantiis quibusdam, voti præceps erraverit, *confessam fuisse שׂוֹן & חַוְוָה hominem & DEUM.*

§. 2. Neque vero temerè talem Eva de promisso Semine, Seductoris infernalis vindice confessionem edidit, neque à nobismet ipsa temerè statuitur, Semen illud *ἑσάνθρωπων* futurum credidisse: In *πρωτευαγγελίῳ* enim Gen. 3. 15. audiverat, Semen illud contriturum esse caput Serpentis Seductoris h. e. potestatem Diaboli, adeoque genus humanum ex potestate ejus h. e. à peccato & morte æterna liberaturum, ita ut passivè tamen ipse Contritor experturus calcanei contritionem esset. Annon verò hinc colligere satis poterat, semen hoc non fore tantùm hominem sed & DEUM? Certè enim contritio capitis serpenti- ni (quam utique *Targum Jonathan*, supra sect. priori m. 2. punct. 3. §. 7. citatus, in paraphrasi Gen. 3. 15. *in extremitate dierum tempore Regis Messia futuram* dicit, obloquens ita citerioribus Judæis, qui locum jam citatum ad naturalem Hominis & serpentis *ἀνθρωπείας* præfractè referunt) non hominis nudi sed DEI opus est. Unde & Apostoli hoc *πρωτευαγγελίον* exponentes, contritionem illam capitis serpenti- ni, h. e. destructionem operis Diaboli- ci, Filio DEI transcribunt 1 Joh. 3. 8. Ebr. 2. 14. 15. Rom. 16. 20. Nihilominus tamen contritor hic semen quoque Mulieris futurus & contritionem calcanei passivè experturus erat. Igitur & homo simul creditus fuit.

§. 3. Facit huc ipsorum quoque *Ebraeorum traditio*, quam *Kenethimus* nobis jam supra sectione priori m. 2. punct. 3. §. 7. lau-

F 3

datus

datus, recenſet l. i. de Art. Cabal. p. 628. & 629. Miſſus eſt Angelus
 Raziel ad Adam collapſum & mærore plenum, ut conſolaretur eum, cui
 ſic dixit: ne ſupra modum conficiaris gemitu & moleſtia, quod te dũce
 genus humanum in ſummam corruit perditionem: Quoniam originale
 hoc peccatum expiabitur. Nam ex tua propagatione naſcetur homo
 juſtus & paciſicus, VIR HEROS, cujus nomen continebit in miſeratio-
 nibus etiam has quatuor literas JHVH & ille per rectam fidem & pla-
 cidam oblationem mittet manum ſuam & ſumet de ligno vitæ & ejus li-
 gni fructus omnium erit ſperantium ſalus. Quo ſermone finito, ille
 damnatus & ærummoſus Adam inter miſerias omnes, in quas incidit, in-
 ter dolorem, inter luctum, quo in tanta calamitate fuerat affectus, con-
 fidens in DEUM, mutandi delicti ſpem concipit & idcirco incredibili ergo
 factorem ſuum amore actus divinæ clementiæ gratiam habuit. Hæc fuit
 omnium prima Cabala, primordialis ſalutis nuncia. Et paulò poſt
 refert, quomodo Adam hanc revelationem conjugi ſuæ EVÆ culpæ con-
 ſorti recenſuerit, EVÆq; jam futura viventium Mater, ſummotâ deſpera-
 tione, tandem à viro ſuo cognita conceperit pepereritq; primogenitum,
 & hinc ingenti atq; incredibili gaudio perſuſa, quod putares, ei mox Sal-
 vatorem eſſe natum, ſic exclamaverit: יהוה אלהינו י. e. AC-
 QVISIVI VIRUM ILLUM, QUATUOR LITERARUM, quas literas (יהוה)
 ab Angelo jam pridem acceperat. Conf. Sect. prior l. c. Licet verò
 iſthæc traditio Cabaliſticiſſis veſtita ſit involucris & Rabbinorum
 inventis obſcurata, ipſum tamen ſinceræ veritatis fundamentum,
 de Meſſia DEO-Homine, non penitus negligit ſed clariffimè tradit.

§. 3. Eandem Meſſiæ *יהוה שפואיו*, quin poſteri EVÆ,
 priſci V. T. fideles, ex protevangelio & hoc ipſo EVÆ Triverbio,
 Protevangelii interpretamento, aliisq; Scripturæ locis e. c. Jeſ.
 9. 6. ubi Meſſias vocatur אל גבר DEUS fortis & אבי ער Pater
 æternitatis, Pſal. 45. 6. ubi יהוה אלהים DEUS, Jer. 23. 6. ubi יהוה צדקתו
 DEUS juſtitia noſtra, Mich. 5. 2. ubi מוצאותיו מקום מימי עולם
 hauserint, non eſt dubium. Conf. infr. Conſect. 5. §. 2.

§. 4. Suffragantur Conſectario noſtro omnia illa V. T. lo-
 ca, ex quibus ipſe Chriſtus ejusq; Apoſtoli veram Meſſiæ Re-
 demtoris divinitatem contra Judæos & Phariſæos potentiffimè
 probarunt, de quibus iterum idem conf. conſect. 5. §. 2. & 3.

CONSECT.

CONSECT. III.

*Eva & fidelibus V. T. creditum fuit promissum hunc
Messiam unam fore personam, ex duabus
constantem naturis.*

§. 1.

Clarissimè hoc porisma ex eodem Evæ Triverbio enascitur. Dicens enim: *genui Virum* *דבר יהוה*, non tantùm in *Jerem.* confiterur, se Messiam credere *איש* Virum - Hominem & *אֱלֹהִים* DEUM: sed & particulam *אֵת* Accusativi notam duobus hisce nominibus substantivis interponendo, nomenque posterius proprium *אֵת* per appositionem priori Appellativo *אֵת* conjungendo, *unitatem personæ illius*, de qua suam hic edit confessionem h. e. contritoris & Redemptoris illius promissi DEI-Hominis, disertè ostendit, quod scilicet idem Vir etiam sit DEUS, nec alius sit *אֵת*, alius verò *אֵת*; quanquam in *ἑνωθέντες* & applicatione confessionis, uti jam sæpius est monitum, aberrat.

§. 2. Idem ex præcedd. quoque consecrariis fluit: Si enim Eva contritorem Serpentis infernalis ex protevangelio cognovit, illumque DEUM Hominemque credidit futurum & prædicatum divinæ naturæ, scilicet *contritio potestatis Diabolica*, Semini mulieris i. e. homini tribuitur, eundem certè Hominem fuisse quoque DEUM oportet; non tamen *essentialiter*: siquidem adhuc Semen mulieris vocatur, cum contritio capitis serpentini h. e. Diabolica potestatis de ipsomet prædicatur; Igitur *personaliter*, ut idiomatum communicatio locum haberet. Duo enim disparata, licet non *ἑνωθέντες*, bene tamen *ἑνωθέντες* idem esse subjectum possunt: unde & unio duarum in Christo naturarum non dicitur *naturalis* vel *essentialis* sed *personalis*. Vel clarius: Cum attributum divinum de subjecto h. l. Semine Mulieris prædicatur, aut subjectum illud DEUS est merus, aut natura DEO personaliter unita: neque enim DEUS gloriam suam alteri dabit; Jam verò Semen mulieris non est Deus merus: est enim & manet semen mulieris h. e. Homo verus: Ergo est *ἑνὸς ἑσῶτος* i. e. una persona ex duabus constans naturis, divina & humana, personaliter unitis.

§. 3. Suf.

§ 3. Suffragantur huic de *Unione personali s. anitate persona* Redemptoris Consectario (1) ista loca, in quibus Servator noster unus esse dicitur 1. Tim. 2. 5. *unus est mediator inter DEUM & hominem, homo Jesus Christus.* (2) Loca, in quibus de uno Christo divina & humana prædicantur e. c. Matth. 22. 42. de uno Christo dicitur, quod sit *Filius & Dominus Davidis.* Matth. 16. 16. quod sit *filius hominis & DEI vivi* Rom. 9. 5. quod sit *ex Patribus secundum carnem* idemque simul *DEUS benedictus in secula.* Jer. 23. 5. quod sit *germen Davidis & Jehovah.* Mich. 5. 2. quod *egressus sit ex Bethlehem* h. e. natus in Bethlehem ille, *cujus מְצִיטוּ* s. *egressiones* h. e. *nativitas est מִימֵי קַדְמוֹת* h. e. *ab æterno*: nam *מְצִיטוּ* egressus fuit in scripturis de *nativitate* non rarò adhibetur.

CONSECT. IV.

Eva & V. T. fidelibus creditum fuit, DEUM esse incarnandum.

§. 1.

Non obscure illud ex nostro colligitur loco: Si enim Evā pariendo Cainum putavit, se promissum potestatis Diabolicæ contritorem peperisse, eundemque expressè credidit non tantùm *semen suum* s. *Virum-hominem*, sed & *יהוה* in unitate personæ, prout hætenus abundè est ostensum: Si etiam reliqui V. T. fideles crediderunt, contritorem Satanæ s. *Messiam futurum fuisse DEUM* & hunc simul *semen mulieris, semen Abrahami, germen Davidis* &c. uti constat ex Gen. 3. 15. c. 12. 3. Jer. 23. 5. adeoque à muliere nasciturum, sequitur *Evam & fideles V. T. credidisse DEUM esse incarnandum.*

§. 2. Illustrant hoc Consectarium (1) loca V. T. in quibus ille, *cujus egressiones sunt ab æterno* i. e. qui *Filius DEI* ab æterno à Patre natus, prædicatur *egressurus ex Bethlehem* i. e. in Bethlehem nasciturus Mich. 5. 2. &c. (2) loca N. T. in quibus dicitur *Verbum* (illud substantiale, quod ab æterno fuit, quod ipse *DEUS* est, per quod omnia sunt creata h. e. *Filius DEI*) *caro esse factum* i. e. *incarnatum* s. *naturam assumisse humanam* Joh. 1. 1. 14. & *DEUS in carne manifestatus* 1. Tim. 3. 16. & *Christus ex Patribus secundum carnem & simul DEUS in secula benedictus* Rom. 9. 5. & *Filius DEI semen Abrahamæ* perhibetur *assumisse* Ebr. 2. 16. &c.

CON.

CONSECT. V.

Fides in Messiam DEum-Hominem adeoque salvandi ratio non tantum ex scripturis N. sed etiam V. T. sufficienter fuit cognoscibilis.

§. 1.

Etiam hoc porisma ex presenti Evæ Triverbio & Consecrariis præcedentibus sic satis clarè fluit. Si enim primi Parentes nostri ex Protevangelio (1) conceperunt fidem in Semen Mulieris s. contritorem Satanae generisq; humani Redemptorem, ita ut remissionis peccatorum atqve salutis suæ cupiditativitatem ejus fiduciâ singulari desiderarint, eumqve (2) DEUM simul ac hominem in unitate personæ futurum, & caput Seductoris infernalis contriturum, atqve ita DEUM esse incarnandum crediderint, & hac fide justitiam & salutem impetraverint, uti præcedentibus quatuor Consecrariis ostensum est, sequitur fidem in Messiam *Жеавъ Спасовъ* & salvandi rationem non tantum ex scripturis N. sed etiam V. T. sufficienter fuisse cognoscibilem.

§. 2. Eandem fidem in *Жеавъ Спасовъ* reliqui V. T. fideles non tantum ex laudato jam protevangelio Evæqve Triverbio, (quod protevangeliū quædam interpretatio est) sed ex aliis etiam promissi *Seminis benedicti*, consolationis loco ad Abrahamum Gen. 12. 3. c. 18. 18. c. 22. 18. c. 26. 4. c. 28. 14. ad Isaacum Gen. 26. 4. ad Jacobum Gen. 48. 14. & alios factis, repetitionibus, ut & Prophetarum vaticiniis, (sc. Jes. 9. 6. Psal. 45. 6. Jer. 23. 6. Mich. 5. 2. &c.) Messiam non tantum *Semen Mulieris, Abrahami, Davidis* &c. h. e. verum hominem, sed & verum fore DEUM, luculenter contestantibus, cognoscere potuerunt.

§. 3. Referimus huc omnia illa V. T. loca, quæ Deitatem Messiae Redemptoris clarissimè testantur, ex quibus ipse Christus ejusq; Apostoli eandem contra Judæos & Phariseos potentissimè adstruxerunt. Unde & *Wellerus* olim contra *Calixtum in Wegzeiger der Gottheit Christi* n. 23. p. 61. ita pro consecrario nostro argumentari non dubitavit: *Si Deitas Christi in V. T. non fuit clarè manifestata nec credita* (addo, nec consequenter cognoscibilis) *sequitur nec Christum ejusq; Apostolos eandem contra Judæos & Phariseos*

ex claris V. T. dictis probasse. Posterius verò nullus Christianus DEUM
simens affirmabit: Siquidem Christus Matth. 22. 44. 45. ex Psal. 110. 1.
Deitatem Messie tam potenter probavit, ut Judai obmutescere coacti fue-
rint. Et Apost. ad Ebr. cap. 1. eandem probat ex Ps. 2. 5. 2. Sam. 7.
14. Psal. 45. 10. Psal. 110. 1. &c. E. nec prius est asserturus.

§. 3. De cetero quoad rationem salvandi per fidem in Chri-
stum ex V. T. cognoscibilem Conlectario quoque nostro adstripan-
tur (1.) in genere quidem loca, quæ testantur, *Scripturam* (sc. V. T.)
posse eruditum reddere ad salutem per fidem, quæ est in 7. C. 2. Tim. 3. 16.
item, quæ dicunt *per Scripturam Moysis & Prophetarum nos perennem*
effugere damnationem, ex illius vitam habere posse æternam, Luc. 16.
29. Joh. 5. 39.

§. 4. Deinde verò in specie, quoad dictam salvandi ratio-
nem, Conlectarium quoque nostrum roborant (1) locus Rom. 4.
6. 7. & 11. ubi ex professo & tanquam in propria sede Apostolus
justificationem nostram ex fide h. e. salvandi rationem ex V. T.
locis Gen. 15. 6. Psal. 32. 1. deduxit (2) locus Rom. 1. 16. 17. ubi Apo-
stolus ex Proph. Habac. 2. 4. probat, *justum ex fide nunc quoque; u-*
ti olim in V. T. vivere. Conf. Conlect. 1. §. 6. (3) loca, quæ testan-
tur *unum omnium tam in N. quam V. T. esse justificandi modum*, Act.
15. 11. *nec alium esse potuisse* Act. 4. 12. *nec alium ab ullo Prophetarum*
esse annuntiatum Act. 10. 43. & *extra hos Paulum nihil docuisse* Act.
26. 2. Conf. Conlect. 1. §. 6 & 9.

§. 5. Licet autem gradibus revelatio rationis hujus salvan-
di s. modi justificationis in V. & N. T. differat; *sufficiens* tamen
Veteribus isthæc salvandi per fidem in Messiam ratio innotuit ac
revelata fuit: *Omnes enim Propheta testantur de remissione per fidem*
in Christum Act. 10. 43.

PUNCT. II.

USUM addens ELENCTICUM.

U Sui Didascalico huc usque sic evoluto succedit Elencticus,
merito redarguens Heterodoxos, diversa planè à nostris
jam expositis dogmata commentantes. Et quidem (1) &
præcipue hic locus ita vindicatus redarguit *pervertitatem & divor-*
tium Novatorum s. ut vocant *Syneretistarum*, Pseudo-Philologo-
Theo-

Theologorum, hic judaizantium: contendunt enim, fideles V. T. credidisse quidem Messiam futurum esse Servatorem; ignorasse vero an Deus, an homo, an verò Angelus esset futurus, Vid. Calixtus in Refutatione D. Welleri §. 63. & Eiusd. Dissert. de myster. Trinit. §. 1. Horum verò argumentum palmarium à defectu solidioris probationis desumptum esse testatur Kromajerus in loc. Anti-Syncr. 3. th. 1. Quicquid verò illa Syncretistarum caterva ogganniat, hanc ipsorum heterodoxiam tam superior genuini sensus loci hujus evolutio & solidissima adstructio, quàm præcedens proximè usus Didascalici expositio, & Confectario quidem 2. luculenter redarguit, ostendens, Evam per protevangelion Gen. 3. 15. jam edoctam, pariendo Cainum, ad Semen promissum, serpentis infernalis contritorem respexisse, de ipsoque Contritore promisso confessam esse, quod sit אִישׁ & יְהוָה homo ac DEUS, adeoque DEum ex muliere nasciturum credidisse.

§. 2. Deinde Syncretistis hic præcipuè & immediatè re-
tusis, usus quoque sic satis evoluti & vindicati hujus Triverbii
(collatis simul aliis scripturarum V. T. oraculis supra confect. 2.
& 5. laudatis) non obscure se exserit ad redarguendam *cacitatem*
ac somnium Judæorum, qui ipsiquamvis olim ad verba Jes. 52. 13.
הִנֵּה יִשְׁכֵּל עַבְדֵי יְרוּסָה וְנִשְׂאָה וְגַבְהָ סָאָר h. e. ecce prudenter fa-
ciei Servus meus, exaltabitur & extolletur & sublimis valde erit, hanc
circumferre traditionem non dubitarint: יְרוּסָה וְנִשְׂאָה וְגַבְהָ סָאָר
מִמְשָׁה וְגַבְהָ סָאָר מִמְלֶאכֵי הַשָּׁרָה h. e. exaltabitur (Messias) præ
Abrahamo, & extolletur præ Mose & sublimis erit valde præ Angelis mi-
nisterii, q. d. Abrahamo & Mose & Angelis erit excellentior & di-
vinior, adeoque hac ipsa traditione divinam Messia naturam haut
dubie innuerint; cum aliâ ratione Angelis superior dici non pos-
sit, conf. Ebr. 1. 4. 6. seqq. hodie tamen suis illam glossematibus in-
tervertunt, ut videre est in Lipomanni Nizzachon §. 236. adeoque
non tantum divinitatem Messia impugnant, sed & ipsam Filii
DEI incarnationem præfractè negant. Conf. D. Joh. Mülleri Hamb.
Judaismum. Probato autem sic satis solideq; אִישׁ יְהוָה hinc esse
Accusativum, erroremq; in circumstantiis (quem ceteroqui Ju-
dæi etiam, cum auxiliari perniciosissima Syncretistarum cohorte, hic
opponunt (conf. laudatum modò Müll. Judaismum p. 127.) non

simul esse effectorem in re ipsa & fidei substantialibus, neq; tollere veram rei ipsius assertionem (conf. supr. Sect. 1. m. 3. punct. 5. §. 4. & 5.) non habent Judæi, quo rectè vereq; usum hujus loci ejusq; Consecrarium 2. & 3. impugnent.

§. 3. Tertio etiam, collatis similiter aliis Scripturarum V. & N. T. locis, utile est hoc Evæ effatum, ad redarguendam impietatem ac venenam Arianorum & Socinianorum, qui vitulâ Judæorum sæpe arant & omnibus omnino loci hujus Consecrariis, usum ejus Didascalicum exponentibus, contradicunt, & quidem (1) fidelissimè V. T. fidem, in rebus magni momenti, nihil commune cum illa habere, quæ nunc homines sub N. T. justificantur, planèq; diverso fuisse modo salvatos, qui ante Christum vixerunt, ab eo quo Christiani justificantur, contendunt. Schmalz. contra Franz. fol. 93. seqq. Et Socinus errare dicit Evangelicos, qui existimant eos, qui sub V. T. coram DEO justè sunt habitè, propterea fuisse habitos & salutis æternæ nobiscum fore paritipes, quod in Christum, quem exhibitum iri sperabant, omnino crediderint, sicut nos in eundem jam exhibitum credimus. Conf. Catech. Racov. c. II. de justif. q. 3. Sed rectiùs illos erroris arguit applicatio præcedentis Consecrarii nostri primi. (2) veram æternamq; Christi Deitatem præfractè negant, Christumq; personam merè humanam, nec duas habere naturas, cum id nec sanæ mentis rationi conveniat, nec alio sanctarum literarum testimonio comprobari possit, statuunt. Volkel. l. 5. de Vera Relig. c. II. fol. 456. Smalz. contra Franz. Disp. 13. fol. 63. quam certè hæresis luculenter redarguit loci hujus Consecrarium II. (3) Unionem quoq; duarum in Christo naturarum aperte impugnant, cum unam tantùm humanam, ceu dictum, admittant, & rationi humana nullatenus congruere dicunt invisibile & visibile, spirituale & corporale, infinitum & finitum uniri, item duas formas substantiales easq; perfectas in unum idemq; cadere Suppositum, cum sit nomen unum sed duo diversa existerent supposita & duo Christi essent. Volkel. l. c. quem errorem retundit loci hujus nostri Consecrarium III. (4) Tremendum incarnationis Filii DEI mysterium implicare sanèq; rationi repugnare passim omnes statuunt, imò & pro mero habent commentum, für ein pur lauter Gedicht fürwigiger Menschen. Ostorod. Instit. Germ. c. 17. fol. 96. Nefandam verò hæresin hanc redarguit Loci hujus Consecrarium IV, (5) tradunt, Scripturam V. T. nul-

lam

Iam fidei in Christum usquam facere mentionem, fidemque in Christum & salvandirationem, qua ex fide vocatur, non ex V. T. cognoscibilem vel veteri fadere comprehensam, sed per Christum demum hanc salvandirationem esse manifestatam. Volkcl. l. 4. de V. R. c. 3. fol. 181. 182. Smalz. Exam. 157. Error, fol. 23. Sed erroris ipsos arguit Confectarium loci nostri V.

MEMBR. II.

De USU PRACTICO

PUNCT. I.

USUM indicans PÆDEUTICUM.

Theoreticum Triverbii hujus *Usum* pluribus jam ostensum excipit *practicus*, qui vel *pædeuticus*, vel *paracleticus*; quos tn. brevibus tantum indicabimus. *Pædeuticus* inculcat (1) *inter fastigia votorum atq. desideriorum, exemplo Evæ, ponendum esse CHRISTUM.* Demetrius Phalereus, cum Craterem Philosophum exilii sui consolatorem acciperet, dixisse fertur: *Malè sit omnibus negotiis & occupationibus, per quæ hætenus talem Virum non licuit cognoscere.* Nos rectius de CHRISTO hæc verba usurpaverimus, execrati omnia seculi hujus desideria, omnes mundi occupationes, à cognitione & desiderio CHRISTI nos retrahentes. Hic enim summum est desiderium & solatium, summa voluptas & oblectatio. Unde & Malach. 3. 1. de illo dicitur, quod *cum voluptate ipsum apperiverint* אֱשֶׁר אֵתָם חַפְצֵי. Et Hagg. 2. 8. חֲסֵדָה כָּל הַגִּיִּים i. e. *desiderium omnium gentium* audit. Ubi Osiander: *delicia omnium gentium*: quæ vox magis ab actu desiderii præscindit, qui l. c. non adeo videtur intendi: cum gentes, quæ tales, Messiam non desiderarint, quippe quem haut noverunt potius *qualitas* objecti voce חֲסֵדָה respicitur, quod Messias futurus sit *maximè desiderabilis & delectabilis* gentibus, *voluptas, delictium, solatium*, ad quem ob multifaria ejus beneficia desiderium hominum sit dirigendum. Recte igitur Christus ante omnia desiderandus est, ante omnia ipsi inhiandum, sitienda ejus salus Pl. 63. 2. Joh. 7. 37. *Tota Christiani boni vita sanctorum sit desiderium*, ut Augustinus monet Tract. 4. in Ep. Joh. *væ autem misera anime, quæ Christum non querit nec amat, arida manet & misera*, inquit idem Aug. man. c. 4. *Quamvis autem*

G 3

multi

multi hominum facto eundem non desiderent neque expectant, imò ipsum ignorent; de jure tamen ab omnibus est expectendus. Lutherus l. c. reddidit Heiden Trost / quem sine merito Piscator hic taxat eumque errasse putat, cum vertere debuerit, der Heiden Lust und Begierde; qui tamen suam ipse versionem satis tuetur, sequi ad styllum attendisse Germanicum ait Tom. 8. Jen. p. 25. Quanto opere verò Judæi Messiam actu desideraverint, quorum ad eo respectu desideratisimus jure audit, sancta illorum vota ac desideria testantur, in quibus tamen allegandis Postillatores nimium liberales deprehenduntur, quod inter alia allegatio loci Exod. 4. 13. testatur. Nos verò hodie CHRISTUM desideramus, cum (1) per meritum ejus justificari cupimus, quod desiderium summæ necessitatis & indigentix est, quo ipsum expectamus ceu Medicum vulnera & ægrotationes nostras sanantem: ipse enim solus potest nostros complere defectus & vota explere. Eatenus verò desiderata ejus justitia & meritis potimur, non quatenus inhærenter justii sumus, sed quatenus vera fide justitiam & merita ejus desideramus Rom. 3 & 4. (2) cum eundem spiritualiter per fidem, uti Eva corporaliter, concipere, per illamque in cordibus illum nostris habitare & per charitatem spiritualiter parere cupimus Eph. 3. 17. &c. Imò (3) cum gloriosum ejus adventum, inter suspiria & pietatis simul ac patientix studia, præstolamur Tit. 2. 13. Phil. 3. 20.

§. 2. Inculcat (2) Christum non modò præ omnibus esse desiderandum, sed ante omnia etiam acquirendum & constanter possidendum, ut verè perpetimque cum Eva exclamare possimus: *acquisti, possideo VIRUM - DOMINUM*. Acquirimus heu! mundi sapientiam, honores, potentiam, divitias, voluptates seculi; sed damnosas, incertas, fallaces, inconstantes, perituras: acquirimus sed vix possidemus: acquirimus non rarò illegitimè & possidemus cum injuriâ proximi; acquirimus sed mox amittimus sive à fortuna privati sive morte abrepti. Ergo contemnenda sunt omnia mundi bona & acquirenda optima fidelium portio, quæ possidetur in æternum, CHRISTUS. Ita Psalter peritura mundi bona, imò coelum terramque sibi negligenda rectè duxit, & contrà ex omnibus acquirendis rebus, ut summum maximumque bonum, solum sibi DOMINUM elegit amandum

mandum & acqviendum perpetuoqve possidendum Ps. 73. 26.
Hinc ibidem ait : **למי לי כשמי** h. e. *quæ mihi in cælo?* Defe-
ctum in Oratione hic omnes faciliè intelligunt; sed non eodem
modo suppleant. Reçillimè ex contextu suppleant, qui verba
ועמך חפצתי i. e. *tecum desiderabilis*, ex proximè seqq. **למי לי כשמי**
חפצתי h. e. *& tecum non desideravi* (voluptatem habui) in
terra, huic etiam priori hemistichio inferunt. Optimè *Aretiu Fel-*
linus in h. l. p. 400. *quæ mihi in cælo*, subaudi : *præter te arideat?*
Qua certè comparativa locutione Psalmographus magnam DEI
corporumq; cœlestium & omnium mundi hujus bonorū dispa-
ritatem eleganter ostendit, quod sc. loco infra DEÛ longè inferiori
omnia bona in cælo terraq; sint constituta, nec amorè nec deside-
rium nec acquisitionem nec possessionem nostrā mereantur. Ec-
ce enim cetera, quæ acquirimus & possidemus seculi hujus bona,
sunt *acerba & ægritudo* animæ, præcipuèqve in fine non exiguā vo-
luptuariis *molestiam* aspergunt; DEUS vero & CHRISTUS est **חפץ**
ipsa voluptas, oblectamentum, maximè delectabilis, in quo Psaltes
oblectationem habuit, **חפצתי**, *ita ut præter eum nihil in cælo & terra*
volupe fuerit. DEUS enim & Christus omnis mali expers, omnes
animi sensus mira amoris suavitate perfundit atqve infinita in se
bona & oblectamenta continet, in verbo nobis oblata & fidelī
apprehensione possessa. Cetera sunt *fallacia & lubrica*; Christus
vero positam in eo fiduciam firmiter conservat tanquam **צור**
לכבנו i. e. *rupes cordis nostri*, uti Psaltes ipsum l. c. salutatur, quod
Lutherus reddidit *Herkens* & *rost*/respiciens fructum ex rupis hu-
jus possessione vel inhabitatione redundantem. Cetera sunt *peri-*
tura, sed Christus & DEUS sunt **חלקנו לעולם** i. e. *portio nostra in*
æternū, prout denuo ipsum d. l. Psalmographus appellat q. d. non
tantum *allegeit* (uti Luth. vocem **לעולם** reddit) h. e. per omnes æ-
tatum mundi vices, per singula vitæ nostræ intervalla, nec tantūm
per quascunq; temporis cujusqve periodos; sed & in secula nun-
quam terminanda, omni humanæ mentis sagacitati imperveffi-
gabilia, possidetur DEUS & Christus portio à fidelibus acquisita.
Equis igitur omnibus aliis talem acquisitionem tamqve beatam
perpetuamqve CHRISTI possessionem non præferret?

PUNCT.

USUM tangens CONSOLATORIUM.

Contenti vivimus & contra quavis seculi hujus desideria erecti
 stamus: Christus enim, quem Eva desiderabat, est optimum
 maximumq; fidelis animæ desiderium, omnem ejus indigen-
 tiam explens non tantum verbo consolante & Oratione interpel-
 lante; sed & merito expiante atque ope ac opere liberante. Con-
 tenti, inquam, vivimus in Christo & augmentum desiderii ejus
 desiderantes cum *Augustino* medit. cap. i. ingemiscimus: **DOMI-
 NE DEUS** da cordite desiderare, desiderando quærere, quærendo inve-
 nire, inveniendò amare!

S. 2. Non desperamus in peccatis aliisve tentationibus: Christus
 enim contritor-Satana & vindex noster idemque Deus & homo est: Non,
 inquam, desperamus, sed quemadmodum Eva post lapsum, in-
 que ipso partu, fiduciali SEMINIS contritoris DEI-HOMINIS me-
 moriâ & confessione se erigebat: ita in peccatis aliisve tentationi-
 bus ad Christum, Hominem simul ac DEUM, respicimus, illiusq; me-
 rito nos erigimus: ad Hominem, qui in omnibus tentatus est, ut
 condoleret nobis Ebr. 5. 1. ad DEUM, qui potentissimè nos eripit
 ab omniq; malo liberat, Ps. 91. 15. ad Hominem, qui pro pecca-
 tis nostris sanguinem fudit, ab omni peccato nos emundaturum;
 ad DEUM qui infinitum sanguini valorem addit. Joh. 1. 7. Nec
 modò sic respicimus, sed hujus quoque respectu in omni tentati-
 one hostiumque insultibus læti canimus: Gratia sit DEO, qui dat no-
 bis victoriam per DOMINUM nostrum Jesum Christum!

S. 3. Non abjicimus fiduciam, licet ex SPINA (Anagr) PANIS
 Gen. 3. 18 19. licet possessio in terris sit attenuata & deliciae appareant
 nullae: Christus enim, quem Eva non tantum possidebat fide, sed e-
 undem quoq; per generationem jam à se acquisitum possessumq;
 putabat, est summè delectabilis fidelium portio atq; aeterna possessio, qui
 omni jam acquisitione, possessione ac delicio in terris deficien-
 te, maximum est lucrum, solatium & delictum: fiduciam ergo non
 abjicimus; sed exemplo Evæ, ex possessione עֵץ הַיַּדְעָה h. e. horti volu-
 ptatis deturbatæ, gloriamur in Christo Viro-DOMINO, & mirâ pos-
 sessionis Ejus suavitate amorisq; dulcedine perfusi, in omni
 privatione & tribulatione exclamamus: קִנְיַת אִישׁ אֶת-יְהוָה
 על-כן וְהִי שֵׁם יְהוָה מְבָרַךְ מֵעַתָּה וְעַד-עַלְמַי

סג (סג) סג



mandum & acqviendum perpetuoqve possidendum
 Hinc ibidem ait : **כי מי לי בשמי** h. c. *quia mihi in celo*
 sum in Oratione hic omnes facile intelligunt; sed non
 modo supplent. Rectissime ex contextu supplent, quod
ועמד חפצתי i. e. *tecum desiderabilis*, ex proximè seqq. **כי**
חפצתי בארץ h. c. *& tecum non desideravi* (voluptatem h
 terra, huic etiam priori hemistichio inserunt. Optimè A
 linus in h. l. p. 400. *quia mihi in celo*, subaudi : *præter te*
 Quæ certè comparativa locutione Psalmographus magni
 corporumq; cœlestium & omnium mundi hujus bonorū
 tatem eleganter ostendit, quod sc. loco infra DEū longè
 omnia bona in celo terraq; sint constituta, nec amorē ne
 cium nec acquisitionem nec possessionem nostrā mereant
 ce enim cetera, quæ acquirimus & possidemus seculi hujus
 sunt acerba & aegritudo animæ, præcipuèqve in fine non ex
 luptuariis molestiam aspergunt; DEus vero & CHRISTUS
 ipsa voluptas, oblectamentum, maximè delectabilis, in quo
 oblectationem habuit, **חפצתי**, ita ut præter eum nihil in celo
 volupe fuerit. DEus enim & Christus omnis mali expers,
 animi sensus mira amoris suavitate perfundit atqve in fin
 bona & oblectamenta continet, in verbo nobis oblata &
 apprehensione possessa. Cetera sunt fallacia & lubrica; C
 vero positam in eo fiduciam firmè conservat tanqu
לרכבו i. e. *rupes cordis nostri*, uti Psalter ipsum l. c. saluta
 Lutherus reddidit Hergens. &rost/respiciens fructum ex ru
 jus possessione vel inhabitatione redundantem. Cetera in
 tura, sed Christus & DEus sunt **חלקנו לעולם** i. e. *portio*
 æternū, prout denuo ipsum d. l. Psalmographus appellat q
 tantum allezeit (uti Luth. vocem לעולם reddit) h. c. per or
 tatum mundi vices, per singula vitæ nostræ intervalla, nec
 per quascunq; temporis cujusqve periodos; sed & in secu
 quam terminanda, omni humanæ mentis sagacitati imp
 gabilia, possidetur DEus & Christus portio à fidelibus ac
 Ecquis igitur omnibus aliis talem acquisitionem tamqve
 perpetuamqve CHRISTI possessionem non præferret?

